PIUS PP. VI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Omnium saluti paterna charitate intenti, Sacra interdum loca Spiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus ut inde Fidelium defunctorum Animae Domini Nostri J. Christi ejusque Sanctorum suffragia meritorum consequi et illis adjutae ex Purgatorii poenis ad aeternam Salutem per Dei misericordiam perduci valeant. Volentes igitur Ecclesiam Regalem nuncupatam SS. Cosmae et Damiani Hospitalis Innocentium etc. nuncupati Civitatis Hispalen. in qua aliud Altare privilegiatum quatenus adsit concessum per praesentes Apostolica auctoritate revocamus, et in ea situm Altare eorumdem SS. Cosmae et Damiani hoc speciali dono illustrare, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ut quandocumque Sacerdos aliquis secularis vel cujusvis Ordinis, Congregationis et Instituti Regularis Missam defunctorum pro Anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad praedictum Altare celebrabit, Anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam consequatur, ita ut ejusdem Domini Nostri J. Christi ac Beatissimae V. Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a Purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Martii MDCCLXXV. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Pasado por la Comisaría General de Cruzada
en 10 de Mayo de 1775.

J. Card. de Comitibus

DIPUTACIÓN DE SEVILLA
ARCHIVO

Ribon

31

DIPUTACIÓN DE SEVILLA
ARCHIVO

PERGAMINOS, 787
Hospital de los Inocentes, leg. 5

DIPUTACION PROVINCIAL - SEVILLA
ARCHIVO